# DE INDICATIONIBVS
## PRO QVANTITATE SANGVINIS MITTENDI DECERNENDA

*Tam morbo presente quam imminente*

ASCANII PANZANII CAROLENSIS
Olim medicinam Theoricam extraordinariam in almo Gymnasio Pisano publice profitentis, nunc Physici Piscienſis.

*Ad Illustrissimum, ac Reuerendissimum D. D. Abbatem Riccium Antistitem Piscienſem.*

LVCÆ,
Apud Peregrinum Bidellium. 1642.
*Superiorum permissu.*

*PARCITE Gens hominum ferro, quid quæritis vltrà*
*Vnde vos multiplex Spiritus vnus erat?*
*Prona fatis, volucrique die rota vertitur anni,*
*Præripitur fatis obuia vita suis,*
*Si lebitina manes placanda cruore, rubum.*
*Clotho vel humano murice penſa velit,*
*Sanguinis his vndis ad portum iter eſto ſalutis,*
*Naufraget hoc ſtygij gurgite cymba Senis.*

*Sc. B. L.*

QVANTVS mittendus sit sanguis corpore ab egro
Phebigenam tantum nosse Galenus ait.
Pondus at hic liber, & mensuram tradit ad unguem.
Hunc ergò Auctorem quis neget Æsculapium?

Idem.

# ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISS.^mo D. D. IOANNI ABBATI RICCIO ANTISTITI PISCIENSIVM DIGNISSIMO.

MIRABERIS fortasse Illustrissime & Reverendissime Præsul, me de venæ sectione tractationem aggredi, cum tot Medicorum millia priscis, & nostris temporibus genuerint, qui diligenter, & accurate prosequuti sint, ut nullus posteris scribendi locus relictus esse videatur. Verum, si quæ literis consignare sum ausus, attente perspexeris, non ea quæ hucusque ab alijs conscripta sunt me in medium afferre (neque enim vetustissimas atq; immemorabili annorum serie comprobatas mittendi sanguinis leges ad examen revocare aut elegantiori stylo repetere consilium fuit) sed quæ vel non exactè vel obscurè ab alijs tradita sunt, dilucidare ac discutere comperies. Neque vero de re magni alioquin momenti propriam in universum ferre sententiam instituo, sed hoc auxilij genus eatenus prosequor, quatenus mittendi sanguinis quantitas in uno quoq; morbo tam præsenti, quam imminenti exactè præscribatur. In qua qui-

dem, re liter iam multi ſedulò verſati ſint, cùm rei natura ſua difficillima exiſtat, & exercitato demum iudicio decernenda ſit, aliquid addendum, vel immutandum dubio procul nobis etiam reliquerunt. Hos vero conatus, quamuis leues, & ſeueriore trutina excutiendos, non ſub alio prodire nomine volui, quam ſub tuo Illuſtriſſime Preſul, cui cum me ipſum tum vltrò dicaueram, iure meo omnia debentur. Accedit me ipſum vnà inter proprios lares agnitum, de ſummis Medicæ artis decretis diſceptaturum Patrono egere, qui labores meos, quales quales fuerint, ab impetentibus defendat, ne quicquid ob ſcribentis imbecillitatem ruiturum videtur, tanti Patroni auctoritate fulciatur. Quod ab id etiam mihi ſperandum ſit, quantum pro tua valetudine ſuſceptæ curationis occaſione tractatio hæc vel lignis patebit, argumento ducis. Vale interim Illuſtriſſime ac Reuerendiſſime Domine, ac mei obſequentiſſimum & addictiſſimum mancipium (tale quippe me eſſe profiteor) ſub tuo doctrinæ ac cunctis ne graueris accipere. Sanitatem inculpatam, ac Neſtoreos annos tibi interim è cordis nostro exopto. Dat: Piſcis 3. Id. Aug. M. DC. XLII.

Tui Addictiſſ.

Aſſumius Pecquius.

# ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO D. D. IOANNI ABBATI RICCIO ANTISTITI PISCIENSI

## ASCANIVS PANZANIVS S. P. D.

CVM superioribus diebus iam procedente vere præter alia præsidia quæ ad tuæ valetudinis tutelam præseruandi causa præsempta fuerant Illustrissime ac Reverendissime Domine, sanguinem quoque mittendum ad decem circiter vncias præceperim, quam sanguinis quantitatem in viro iam quartum supra sexagesimum annum agente fortasse non defuere, qui reprehenderent atq; improbarent, placuit mihi breui hac tractatiuncula tot tuens rationem reddere, non solum vt me ipsum à reprehensionibus vindicarem, sed etiam vt alios, si qui sint, qui hac sanguinis quantitate deterriti huiusmodi auxilium detrectare videantur, amice admonerem tuto id atq; exacte in vsum deduci posse. Ita enim mihi ipsi satisfecisse videbor, qui in sanandis ægrotis hoc præsidio familiariter vtor, aut si id assequutus nō fuero, saltē contra-

dicendi ac meliora docendi ansam non sine addiscen-
tium vtilitate aliis præbebo. Verum enim vero, vt
tecum, & cum aliis virtute præditis in dirimenda
atq; enodanda hac quæstione, quantum per me licebit, aperto pectore loquar, non nulla obseruatione digna præmittenda mihi videtur; quæ faciliorem aditum præstabunt, ad indagandam veram tutamq; sanguinis mensuram. Ac primo, quid sit venæ sectio, secundo in quibus morbis sit adhibenda. Quod attinet ad primum, videlicet ad definiendam venæ sectionem; Eamil aliud est Hieronymo Capiuaccio testante quam materiare medij indicati à vitio vehementi sanguinis per se sensibiliter, & confestim sanguinem euacuans, & ex accidente refrigerans. Ponderanda vero sunt verba illa, VITIVM sanguinis, cum enim non vnius generis sanguinis vitium existat, sed multiplex, peccat si quidem substantia, & copia, & secundum vbi, ideſt motu, substantia peccat citrà putredinem suam propriam qualitatem non seruando, ideo ad nutritionem ineptus fit; copia peccat quatenus plenitudinem gignit, in qua æqualiter augentur humores veteri seruata proportione, quæ dicitur plethora exquisita, quo ad vasa; peccat tandem motu, quando in aliquam determinatam partem impetum facit: propterea ab hoc triplici vitio, si magnum fuerit, venæ sectio variis modis, ac sub varia ratione indicatur, Nam plethora præsente vndecunque fluat sanguis

plent-

plenitudo depletur, quamuis id commodius fiat ex amplioribus venis, vt illæ sunt, quæ per brachium excurrunt. At vero si motu sanguis peccat in partem aliquam irruens, ab ijs demendus est venis, quæ reuulsioni ac deriuationi quam maxime inseruiunt, quēadmodum & dolore aliquo insigni vrgente non omnis vtiliter tunditur vena, sed quæ dolenti loco magis propinqua est. Sic Hip: in doloribus partium proxima secanda esse vasa decreuit. Sic si retenta in muliere sint menstrua non omnes aperire venas conducit, sed eas, quæ sub poplite perreptant, vel in talo conspiciuntur, vt inde retenta mestrua commodius euocentur. Ex his igitur conijcere poteris, cum in te sanguinis vitium adesset, scilicet ob eius copiam nimia adauctam, ac magnum aliquem morbum minaretur, siue calorem natiuum suffocando, siue vas aliquod insigne rumpendo, vel inflāmationem partibus afferendo, iure ad magnum me deuenisse remedium, quale vtique fuit sanguinis missio ad vncias decem secta interna cubiti vena, ex qua sanguinis eductione imminenti morbo, ac tuæ incolumitati satis, ac tuto à nobis prouisum fuit, vt tractationis progressu manifestius apparebit.

Accedo ad secundum, nempe, in quibus morbis fit sanguis detrahendus. Pro huius intelligentia varij varia auctores dixere. Ego verò, vt à dictis Galeni in sua methodo latum quidem vnguem pro meis viribus

discedam, omissis aliorum opinionibus duo tibi indicantia proponã, pro recta dilucidatione huiusce propositionis, nempe sanguinis vitium, & morbum magnum, quorum alterum ad quid agendum, alterum, ad id pro quo agendum attinet, de quibus quam breuissime loquar, quantum scilicet confert ad explicationem sanguinis mensuræ. Etenim si consideretur quid agendum ad primum indicans relatum, quod ad venæ sectionem pertinet, quatenus ipsa includit sanguinis missionem sensibilem, quæ est euacuatio sensibilis omnium humorum ex æquo, vt decretum nobis reliquit Gal: in 1. Aphorism: Aphor 17. indicatur à sanguinis vitio, quod profecto in te plethorica affectio erat, cum vasa omnia turgida conspicerẽtur, & futuri morbi timorem incuterent, & ideo illam euacuationem indicabat paulò ante adnotatã, cum adeo sanguinis missio commendetur, vbi id vitium in sanguine reperitur. Non mirum si Galenus primo Aphorism: Aphor: 23. in maximis doloribus distinctione vtatur, an pharmacum dandum sit, vel venæ sectio sic adhibenda, & hoc medicum non latere puto si sanguis abundet in maximis doloribus vena tunditur, at si alius humor à sanguine diuersus dolores ganeret medicus pharmaco vtatur, & primo de ratione victus in acutis in nullo hydrope Galenus sanguinis detractionẽ comprobat præter quam in anasarca, & eo qui ex suppressione menstruorum, aut hęmorroidum

oritur,

oritur, quoniam in his solis omissis aliis hydropis speciebus adest sanguinis vitium venæ sectionis capax, propterea in his morbis, vbi illud sit, venæ sectio commendanda. Non desunt alia Galeni loca, vt pro de sanitate tuenda cap. 9. & 9. meth: cap. vltimo, & libro de constitutione artis cap. 19. ex quibus proprie colligitur in illis morbis, vbi sanguinis vberitas existat, vel æqualiter humores augeantur æqualitate iustitiæ, vt in plethora exquisita, extrahendũ esse, sin autem humores nimium à sanguinis bonitate recedant, vel sanguis in exigua copia sit, cæteri vero humores sint copiosi, vt in cacochymia exquisita pharmacum exhibẽdum. Patet igitur, quod cum ad quid agendum spectet venæ sectio, quippe quę quatenus includit sanguinis missionem à nullo indicatur nisi à sanguinis vitio, à quo cum desumatur indicatio medendi non super sedendum venæ sectione, morbo tamen existente magno cum reliquis scopis vt infra demonstrabo. Et licet dentur morbi, in quibus nullũ sit sanguinis vitium, vt paralysis, tremor, stupor, cõuulsio, epilepsia, apoplexia pituitosa, & alij morbi ab obstructionibus geniti, nichilominus sanguinis missionem expostulant ex Gal: decreto lib. 13. de meth: med: in fine, non tanquam causa principalis, sed tanquam causa sine qua non. Etsi enim ij morbi à pituitosis humoribus, & non à sanguine generentur, ex his sunt obstructiones, quę probibito transpiratu sanguinem nutritioni ineptũ red-

dunt, & ad putredinem paratum, vnde nisi illis occurratur per venæ sectionem facile fieri potest, vt medicamentorum calefacientium vsu, quæ in morbis requiruntur prædictis ex obstructionibus à lentore natis, & humorum crassitie profligandis, sanguis contaminetur, ac rationem causæ principalis acquirat, & pronde morbum excitet sanguineum, ergo sanguis nunquam educendus, nisi sanguinis vitium aliquod occurrat. Hæ inquam sunt rationes ad quid agendum attinentes, quæ me ab huiusmodi præsidio non debere abstinere persuaserunt.

Circa alterum indicans, quod respicit id pro quo agendum. Scias mi Domine, si consideretur venæ sectio, quatenus est euacuatio facta tali modo, præsidio scilicet magno, & subito euacuante indicatur à morbi magnitudine, quoniam proportio debet esse inter morbum, & remedium extremis enim morbis extrema remedia sunt optima ait Hip: p. Aphorism: Aphor: 6. & omne agens ex philosophorum sententia agit in determinatum, ergo quo ad id, pro quo agendum venam pertundere licet in morbis magnis. Idcirco Gal: 4. acutorum com. 19. & lib. de curandi ratione per venæ sectionẽ cap. 8. & 13. inter primos scopos venę sectionis enumerat morbum magnũ. Propterea Idem in 6. Epidemiorum sect: 3. circa finẽ reddens causam, cur Hip: in ea pleuritide sanguinem non mittat, ait hoc ideo factum fuisse, quia illa pleuri-

tis

ris erat debilis, & ideo non indigebat venę sectione, vt vehementi, & valido auxilio. Dubitabit vero aliquis non ex sanguinis abũdantia sumendam esse indicationem mittendi sanguinis, vt inquit Gal: 4. meth: cap. 6. sed ex morbi magnitudine, & virium robore, ergo nõ debemus materiam sanguineam considerare, sed morbi magnitudinem cum virium robore dumtaxat, licet alia quęcunquè materia peccet. Cui respondendum mihi videtur per ea, quę supra attulimus, in curando duos esse scopos quid agendum, & quo agendum; quid agendum sumitur à materia peccante, si vero non consideretur quid agendum, sed quo agendum, idest an debili, vel valido auxilio agendum sit, hoc non sumitur à materia peccante, sed à morbi magnitudine, & à viribus. Nam si morbus magnus est, magnum indicat auxilium, si debilis, debile auxilium, propterea Gal: loco prędallegato non respicit quid agẽdum, quod à materia peccante sumitur, sed considerat, quo agendum, hoc est agere magno auxilio indicato à morbi magnitudine, qui quidem non à materia peccante sanguinea sumitur, quia materia peccans sanguinea non semper indicat venæ sectionem, semper quidem indicat vacuandum sanguinem: sed an sectione venæ, an alio quo vis auxilio vacuari debeat non indicat, quia sanguis peccans non modo potest euacuari venę sectione, sed media, clisteribus, fictionibus, cucurbitulis, & alijs huiusmodi. A materia ergo

quid

quid agendum sumitur. ideſt eſſe euacuandum, ſed quo euacuandum ſit, ideſt quod ſit euacuandum hoc valido auxilio, quod eſt venæ ſectio non indicatur à materia, ſed à morbi magnitudine, & à viribus. Et licet ſint alij grauiſſimi viri, qui aliter ſentiant in incidenda vena, vt Augenius, & alij, videlicet venæ incisionem eſſe adhibendam in morbis magnis, vbi ſemper ſit ſanguinis vitium citra vllam animaduerſionem aliorum humorum, non damno illorum opiniones, ſi quidem, quæ ſcribuntur in hoc opuſculo in gratiam ſanguinis menſuræ in te vſurpatę probeq; à me adminiſtratæ tantumodo proponuntur.

Si igitur à morbi magnitudine ſiue fiat à vitio tantũ ſanguinis, ſiue à qua vis materia contrahatur, venæ ſectio indicatur, meæ erunt partes tibi aperire, quot modis ſumatur morbus magnus. Morbus magnus à Gal: pluribus in locis ſumitur ex propria vi morbi ratione præſtantiæ partis affectæ, & ratione tolerantiæ facultatis totius corporis gubernatricis, deinde dicitur magnus ratione propriæ eſſentiæ, quatenus morbus recedit quam maxime à ſtatu naturali, & dicitur magnus in habitu, denique dicitur magnus ratione cauſarum, quatenus pẽdet à cauſis actiuitatis, & appellatur magnus ratione reſiſtentię; tandem morbus magnus nuncupatur ratione ſymptomatum quatenus cum morbo coniunguntur plura, & grauia ſymptomata, & aduertendũ quod per morbum magnum nõ ſolum morbũ

preſentem, ſed & futurum intelligere debemus, ideo Gal: 4. meth: Cap: 6. in illis qui ceciderant ab alto abſq; vllo ſanguinis vitio venam ſecabat, quia immi-nebat morbus magnus vt inflammatio: Munus enim medici prudentis eſt dirigere ſuum cõſilium non modo ad id, quod præſens eſt, ſed ad futurum, ad cuius prouidentiam te in vere venam ſecare, & leuiter purgari iuſſi. Hactenus declarata ſunt duo indicantia principalia morbus magnus, & ſanguinis vitium, quid agendum, & id pro quo agendum reſpicientia, non ſilentio præteream, quæ concurrunt in curando non primo & per ſe, ſed ſecundario condicando, quęq; indicantium vim non retardant, imo ponus augent, nimirum anni tempus vernale; aer non ſumme calidus, aut ſumme frigidus, corpora habitum plethoricus, carnoſus, & fere quadratus, venę amplę, & latę temperamentum calidum, & humidum putredini facile obnoxium, errata in cibo, & potu commiſſa, vnde complura mala emanant, ex Hip: ſententia lib. de morbis, & ex Gal: libro de cauſis procatarticis. Ne ergo tuam vitam periculis innumeris expoſitam ſine auxilio relinquerem, quoniam in preſentiarum alicuius morbi in te grauis metus imminebat, per Chirurgiam, & phatmaciam tempore veris præſertim curare ſum aggreſſus, iuxta Hip: auctoritatem ſectione 6. Aphoriſm. 47. quibuſcunque venæ ſectio, vel purgatio cum medicamento conuenit, hos vere purgare, vel ve-

nam

nam incidere oportet. Regione etiam non abnuente, in qua non viget intensa caliditas, & intensa frigiditas, ad differentiam partium Septentrionalium, & locorum Arabiæ, in quibus formidabilis est venę sectio, consuetudine etiam haud neglecta, nam dum Romæ fuisti, id auxilij non omisisti, habita tãdem aeris ratione, nec calidi summe, & sicci, nec frigidi intense, vt nobis enunciat Galenus 4. acutorum com. 19. vndecimo meth: Cap. 14. p. ad Glauconem Cap. 11.

Ratio est, quia sub huiusmodi constitutionibus si vires sint fortes, incisa tamen vena paulò post debiles euadunt. In priori quidem ob aeris summam caliditatem summe digerentem fit maxima spirituum resolutio, & dissipatio, in posteriori verò ob frigiditatem summam, quæ spiritui, & calido innato ita aduersatur, vt quamquam sub hyeme ob caloris concentrationem corpus robustissimum sit, nichilominus tamen ea tempestate, quia aer frigidior ad coctionum loca penetrat plurimum pituitæ generatur.

Ecce quod ex coindicantibus etiam planum perspicuumq; est, opportunissimã esse in morbis magnis venæ sectionem.

Expeditis ijs à me priore loco propositis, videlicet, quæ nam sit sanguinis sectionis definitio cum quadam illius ponderatione, & in quibus morbis commendetur venæ detractio non derelictis scopis indicantibus & coindicantibus reliquum modo est de illius ponde-

re seu

re seu mensura verbū facere, quod præcipuum mihi consilium fuit.

Pro huius explicatione hoc nō lateat, quod sanguinis quantitas mittendi debet respondere quantitati illius, qui copia, vel qualitate noxius mittendus est, modo ferantur à viribus. Est autem adeo incerta, vt à detractione sanguinis, medici etiam clarissimi quandoq; deterreātur. Etenim nihil æquè artem medicam coniecturalem efficit, ac cuiusq; remedij quantitas, vt ait Galenus libro de venæ sectione, qualitas enim cibi, & tempus, quo sumi debet, cuidens est, sed quantum dari debet maxime incertum, vnde Galenus in suo meth: luculenter scripsit, si naturam, & cuiuscunque remedij quantitatem scirem, quidem Æsculapium fuisse mancē conuitio, nam me esse putarem, veluti Galenus ignorauerit certā remedij quantitatem. Nec mirari debemus Æsculapium in deorū numerum receptum fuisse, cum adeo diuino ingenio præditus fuerit, vt ad veram & absolutam remedij quātitatis cognitionem peruenerit, quam Galenus planè, & Auicennas, & alij medici recentiores non nouisse fatentur verè, & exactè, & perfectè nisi coniectura, ob hanc enim causam medicina dicitur ars coniecturalis, & certe certa sanguinis mensura cuiq; apta exquisite vix calamo scribi potest, aut verbis explicari. Fuerunt quidam medici priscis temporibus Gal. teste lib. de curandi ratione per venæ sectionē c. 12. & 14.

qui

qui summum pondus ad sex libras, moderatum ad duas, minimum ad vnam contraxerunt, quod non parum admirationis mihi attulit, partim quia nostri seculi medici in sectrãda medicina huiusmodi detractiones non comprobant, partim quia rationibus demonstrationis carent in assignandis immodicis hus sanguinis ponderibus. Itaque hi sunt (vt mea fert opinio) e secta medicorum negligentium methodum per indicationes progredientem, quæ sumuntur à causa, à morbo, & symptomate, quæ sunt indicantia principalia in Galeni sententia in sua methodo, citra vllam animadversionem coindicantium, quæ concurrunt ad illorum naturam, vt anni tempus vernale, aer, regio, temperatura, ætas, consuetudo, & alia id genus, & potissimum vires, quæ sunt expendendæ, & in venæ incisione, & post venæ incisionem, vt fortes sequuntur, quippe quæ vnà cum indicantibus principalibus nullo modo perferre queunt illas immoderatas sanguinis euacuationes nisi maximà ægrorum iactura, & hi nullam afferentes demonstrationem in pertundenda vena feminarum instar à me habentur, & hæc hominum ætate non desunt, qui magni æstimantur apud vulgares, & sæpe sæpius, vel in morbos chronicos illorum culpa ægri incidunt, vel ex hac vita discedunt non seruata in venæ sectione debita quantitate. Antiquiores Medici, vt terminos præscriberent vltra quos non liceret summas extremasq; sanguinis vacuationes mittere,

indicia quædam apposuere, ex quibus eò peruenturum esse dignoscere quis possit, vbi vlterius progredi, nihil aliud sit, quod hominem occidere; ea vero sunt coloris mutatio non in ęgrotantium facie, sed & in sanguine, & pulsus quoque mutatio, & animi defectio. Verum nisi peritus artifex assistat, & naturalium rerum optime gnarus, vbi ad extremam euacuationem vsq; progredi oporteat, pro morbo vita ipsa exulabit, & summo medici dedecore meer ipsius medica manus ęger deficiet. Etenim vbi vniuersaliter sanguis affectus sit, nulla coloris attendenda mutatio est, quod qui non attendit carnifices potius quam boni medici nomen mereatur. Coloris itaque mutatio profluēte sanguine attendenda est, vbi vena secatur inflammatæ partis propinquæ, & hoc non dicam. Hippocrates in euacuatione pleuritidis, si enim secatur vena ex regione lateris inflammati præcipit, vt sanguis exire permittatur dū mutetur color, ita vt qui fluxerat albidior, fluat ruber, & qui ruber appareat niger. Nam qui sic mutatus est, fluat emanat à parte inflammata, ideo sistendus cum illa iam euacuata fuit; spectabant etiam coloris mutationem in toto corpore in oculorum affectibus, & in oculis præcipue nulla in ijs existente inflammatione; assidue tangebant arteriam aperta cubiti vena, & dum color totius corporis, & oculorum mutabatur, pulsus enim tunc etiam mutatur, debilisq; admodum redditur, sed aliquando miseri ęgrotantes ob facultatem

vita-

vitalem maxime debilem, vel ex hac vita migrabant, vel ob nimiam largam sanguinis effusionem in morbos frigidos incidebant quibus nunquam superstites vacabant. Abeant ij infausto omine, siquidem repentinæ omnes mutationes sunt naturæ inimicæ testis est Galenus 9. meth: Cap. x. & Hipp. prima sectione Aphonsmorũ Aphonsm: 3. extremæ euacuationes sunt periculosæ, cum non possit ita medicus exacte ac minutatim virium terminũ noscere, & ideo nec mirum est, si ab hac euacuatione nostri temporis medici prorsus abstineant. Quin & Auicennas cap: de phlebotomia ait, diminuas in phlebotomia quantum possibile est, quoniam potius infra modum, quam supra modum per ipsam euacuandum. Ego autem animo meo resoluens veteres obscuros, & insufficientes fuisse inperquirenda, & inuestiganda vera sanguinis mensura, ne iuuenes hoc nostro æuo se confundant, neque timidi sint in medicina exercenda gratia facilioris, & dilucidioris doctrinæ hoc opusculum in lucem edere existimaui, vt nullo labore sua ingenia diligent ad sanguinis quantitatem decernendam, quæ licet difficillima sit, vt ait Galenus libro ad Glauconẽ, reddatq; artem coniecturalem, quoniam Medicina non versatur circa corpus quantitatiuum, vt scientiæ mathematicæ geometria, & Arithmetica quæ sensu, & aliqua firmissima demonstratione tractantur, & quantur; sed versatur circa corpus sanabile, vt sanabile

bile

bile est, in quo si velimus scopos rerum agendarum adhibere, nil arduum reperitur, quam quantitas remedij, attamen ipsemet primo Aphorismorũ com. 3. 14. 15. 17. 23. sanguinis mittendi quantitatem ex quantitate requirentium, & tolerantium à medico considendam proponit. Cęterum ne tecum tempus teram in perpendendo vero sanguinis pondere, opere pretium esse arbitror sedula diligentia animaduertere quid intelligatur per requirentia, per tollerantia, & per ipsam quantitatem. Per requirentia intelliguntur causæ & morbi, per tollerantia vires, & quæ ad vires referũtur, per quantitatem vero quandoque quantitas continua, quandoq; discreta intelligitur. Quantum spectat ad requirentia, duo in re quam Ampliſſimo viro reperio, nempe maximam sanguinis copiam, quæ noo est corrupta, neq; qualitas aliena sanguinis, morbumq; imminentem magnum; quæ quidem copia sanguinis requiritur, vt copiosè extrahatur, vt nimię quãtitati in re redundanti respondeat, natura enim exonerat à sarcina; qua premebatur, redditur vegetior, & alacrior. Verum quia mensura triplex est ex antiquorum sententia, libro de venæ sectione, summa, mediocris, & minima, de summa, quæ erat ad sex libras, de mediocri ad duas nolo tecum sermonem habere, agam de minima, quæ est hemina, & dimidium, & est summum pondus apud nos. Itaque summum huius nostri seculi pondus erit ad duodecim vel quindecim

vncias

vncias cum omnibus requisitis, vt ex his, quæ adduximus, videre est, moderatum ad septem, vel nouem circiter, minimum ad tres, vel quatuor. Si igitur sanguis in corpore ægrotantis in magna copia affluat ad duodecim, vel quindecim vncias vsq; extrahendus per illam Galeni regulam libro de tuenda valetudine cap. 4. quam Auicennas, & alij sequuntur, scilicet si solus copia peccet in magna copia educendus, hoc est ad libram vnam vel plus, si quidem vires tunc semper sunt robustæ, & constantes, in pariendæ qualibet sanguinis euacuatione, propterea Galen. primo Aphorismorum Aphorismo 23. in maximis doloribus, & in ardentissimis febribus sanguinem esse detrahendum vsq; ad animi deliquium præcipiebat. Si vero humores parum, vel mediocriter recedant à natura sanguinis mediocris quantitas est extrahenda, scilicet ad nouem, vel decem vncias circiter, si vero magis à natura sanguinis discedant, vel parce mittendus videlicet ad vncias tres, vel quatuor, vel nihil sanguinis mittatur, ne magis humores recrudescant, sub quo postea crudorum humorum onere sanguinis missio est summa pernicies virium infirmarum, ita vt semper in omni venæ incisione à medico magna habeatur ratio non eorum virium præsentium, sed futurarum, non sine ratione consilium memoriæ mandandum pro iis qui medicinam facturi sunt attulit Galenus in lib. de venæ sectione, vt quoties sanguis mittendus sit ægro medi-

cus

cus assistat, qui arteriam tangens summa cum diligentia pulsus diminutionem aduertat, & dum aliqua virtutis deficientis, vel defuturæ signa appareant, iubeat protinus, vt à Chirurgo sanguis supprimatur. Et si quis expauescat ex hoc pondere vsq; ad libram vel paulò plus à Hieronymo Capuacceo, & alijs in arte medica fide dignis statuto, & à Galeno lib. de venæ sectione cap. 8. & 13. sequatur Cornelij Celsi, & Oribasij consilium asserentium, vbi in magna copia sanguis detrahendus ad libram vnam, vel paulò plus, partiatur sanguis non vna vice, sed duabus, tribus ve, quod quidem reiterationem num Pisetæ, cum alijs in locis, vbi medicinam feci omni mea industria obseruaui. At quoniam tua ætas sexaginta quatuor annorum summum sanguinis missionē prohibet, vires q; fortes post venæ sectionē non seruantur, moderata quantitas sanguinis detrahenda erat ex Gal. præcepto lib. de venæ sectione. Ideo à summo pondere abstinendum duxi, sanguineq; multi ad dodrantem vncias circiter, existente corpore plethorico cum alijs conditionibus, vt infra demonstrabo, quæ quidem mensura est comprobata à Galeno, & à Celso, quando humores non recedunt à sanguinis natura, & vires permittunt, vt in re liquido constat. Morbus igitur toę Amplitudini imminens venæ sectionem exposulabat copiosam, sed partitam, quemadmodum Galenus lib. de sanguinis missione in puero post decimum quartum annum multo san-

guine

guine: refero tempore vehementione morbi imminentis sanguinem misit ad cotylam vsq; ad summũ, & illius dimidium retinuit, quæ Cotyla mensurat, vt inquit Mesues quindecim vncias, quã reiterationẽ etiam ante præcepi ad curandum morbum magnum imminentem, sed quoniam id renuisti, & vires validæ erant, quamuis tutius fuisset sanguinis missionem parare, vnica tantum vice decem vnciæ fuerunt extractæ, fabile enim verebar, ne propter tui habilitatem, & præuiam quandam dispositionem tui habitus sanguine non derracto, vel in venæ rupturam, vel in rheumaticam aliquam affectionem, vel in febrem ardentem, synochum, infebremue malumoris incideres. Ex requirẽtibus igitur conijcitur ex Gal. sententia locis citatis, quando est administranda summa, vel mediocris, vel minima mensura, magisq; commendabatur in te tanto viro mediocris quantitas ex supradictis, quam summa, vel minima. Restat dicendum de tolerantibus, quæ augent indicantium vim, quæ sunt vires, & quæ ad vires referuntur, vt anni tempus, regio, præsens cæli status, ætas, consuetudo, & vita antecta, quæ omnia à Galeno 9. meth: Cap. 11. appellantur scopi curatiui, & hos omnes ad duo capita redigit, nempe ad temperamentum, & ad aerem ambientem; ad aerem reducit anni tempus, regionem, præsentem cæli statum, ad temperamẽtum refert consuetudinem, & similia. Ego vero in te curando Galeni

æmulus

æmulus, primum vires animaduerti, quæ tametsi per se indicent primo remedium vitale, attamen ex accidenti indicant remedij quantitatem, quatenus respiciunt causam, & affectum; quæ cũ sint fontes sumpta indicatione à iecore, corde, & cerebro bene se habẽtibus in suis muneribus optime præstandis, vt à cerebro, cogitatione, discursù, & memoria; ab hepate optima sanguinis, & aliorum humorum generatione, à corde precipue recta partium pulsantium administratione, scilicet vt pulsus in proba diastole & sistole sit æqualis, magnus, vehemens, & fortis, perspectis etiam & animaduersis illis tribus, in quibus vires consistunt iuxta Galeni decretũ xi. meth: spiritibus scilicet, partibus carnosis, & partibus solidis, modo secundum omnes partes earum robur ferunt; hęc omnia plurimum roboris præseferunt, ad tolerandum, & non prohibendum magnum sanguinis pondus, quod non nisi virtus robusta permittit, vt in ętate florente, quod profecto in te non elegi, sed mediocre illud supra enarratum, quoniam virtutis robur prò venæ sectione non præsens tantum requiritur, sed futurum, ob id Galenus in viro septuagenario temperamenti calidi, & humidi cũ latis venis & amplis non mittit sanguinẽ vsq; ad Coryłam, vt in puero post decimum quartum annum facere consueuit, sed præcipit minorem sanguinis quantitatem detrahendam, habita ratione non modo virium præsentium firma-

rum, & constantium, verum etiam futurarum, ne per nimium sanguinis pondus vires franganeur, & morbi sanguinis in sene excitentur, ut apoplexia paralysis cõmul-sio & alij eiusdem generis. Deinde considerauit aerem dum accessi ad te curandum, qui licet non indicet, tamen vt signum vocuerit, quod maxime momenti est ad venae sectionem, & augeat vim indicantium, natura non erat valde immoderatus, non valde etiam immoderatam tui corporis temperaturam reddebat, neq; valde tuas vires infirmabat, idcirco erat mihi indicium sanguinis missionem tam diu me concepta opinione admittentem, quod non permitteret morbi valde immoderatam fieri, & putredinis actus principium, cum sibi simile dicat corpus, neq; adeo vires infirmet, vt ad remedia non tam quotidie admodum sufficiat in temperatis calidissimis, nec in diebus canicularibus, & in frigidissimis, non in diebus brumalibus, in quibus tanquam prohibentibus venae sectionem etiamsi vires constet vena non secatur, ex Galeni auctoritate, & aliorum textus, sed anni tempus vernale eligetur in incidenda vena, quod est temperatum in sustinenda magna sanguinis euacuatione, in illis propter summam caliditatem aeris ambientis vt dictum est, non modo calor innatus ad partes externas euocatus, verum etiam plurimum digeritur, & substantia corporis humani dissipatur, vnde vires deijciuntur, eo maxime si quis à morbo acu-

to tor-

to corripitur, unde enim facile ægrotantis subsequitur intentus, in his verò hyeme propter summam frigiditatem aeris ambientis calorem omnes contrahent, vires quoque valedas reddit, nihilominus maximum frigus quandoque imminuere, vel extinguere potest calorem naturalem, tum gignere plurimum humoris pituitosi sanguinis ad ipsum probibentis, si verò contra aer parum recedat à medio temperie, ita vt accidentaliter alteretur, mutuaque fiat illius alteratio, sanguinis mensura diminutur, hoc est ad sex vel septem vncias, quibus mediocris alteratio ad quatuor, vel quinque vncias imminuitur, tamen vt vires hasce euacuationes non prohibeant, sed nullus erat earum excessus, dum ubi venæ sectionem imperauit sed temperatam, quæ tempore magis peccat sanguinis, eique consequenter pro rerum pondere ad decem vncias vsq; accommodauit. Regionem denique nostram inspexi, quæ non est impense calida, & impense frigida, sed ad temperiem optimam vergit, in qua medica non nimis ad sex, vel septem vncias quoties in sanguinis missione, dudum ter aut etiam etiam in plethora nostra. Temperamentum quidem inspexi, quod cum aeris sit calidum, & humidum cum humiditate venarum, signum certè calidi & humidi sanguinis, cui cor non obsistit, requirere videbatur summam sanguinis pondus, sed ad sequandas vires, mediocre elegi, scilicet ad nouem, vel decem vncias, ad differentiam temperamenti frigidi & humidi, vt in cacochy-

mia exquisita, in qua, vel minima mensura est præscribenda, vel nullo pacto sanguis est mittendus. Postremo consuetudinem animaduerti, quæ quamuis primo & per se nan indicet, signum tamen tempestiuæ est, quæ conseruanda, & non mutanda, etiamsi vitiosa existat, vt nobis mouit Galenus xi. meth: cap. 3. nam dum Romæ fuisti venam incidere solitus eras, & in magna copia sanguinem fluere permittabas; ob hãc causam spreta haud cõsuetudine sanguinem in te misi, omissa summa mensura, vt in corporibus ætate florentibus, quæ est ad duodecim, & quindecim vncias, vt nobis in more positum est, quod apud veteres vsq; ad annum deliquium fuit, sed obseruata mediocri ad nouem, vel decem in tua ætate corpore existente pleshonico cum latis venis & amplis tempore veris ad copiosam missionem assueto: nam tanta est vis consuetudinis, vt etiam morbi causa difficile possit mutari ex Hipo: instituto secunda sectione Aphorismorum Aphorismo 49. dicentis. Qui consuetis solitos ferre labores, & si fuerint imbecilles, & senes non consuetis fortibus atq; iuuenibus facilius ferunt. Quod autem postremo attinet ad quantitatem continuam, vel discretam videlicet an sit euacuandus vna, vel pluribus vicibus sanguis, colligendum à viribus & à morbo. Nam si vires validæ sint vnica vice sanguis detrahendus, quas ex pulsu potissimũ agnosces, vnica vice missi, vt in curanda febre synoca Galenus constituit,

de-

debiles vero huiusmodi euacuationem non ferunt, sed partitam requirũt, vt ille ipse in curanda quadam muliere emacata dissertissime docet. A morbo vero vnica vice euacuandum si magnus sit, si nõ adeo magnus & vrgens euacuatio partienda; hæc ad quantitatem discretam, illa ad continuam, altera ad quando, altera ad quantum agendum spectat. Ecce quod ex indicantibus, quę secundario indicant exploratum compertumq, est, quibus rationibus à me in tua Amplitudine sanguis detractus sit in quantitate cõtinua & non discreta, scilicet non ad summum pondus neq, ad minimum, sed ad moderatum nempe ad nouem, vel decem vncias circiter. Explicato sanguinis pondere non possum facere, quin obiter patefaciam cur non nulla medicamenta lenia ad exonerandam aluum tibi præscripserim, vt Reubarbarum & mannam, & cur id præstiterim adeo moderata quantitate, cum enim magis agat in tuum corpus sanguis, quam alij humores, huius præsertim, quæ cũ sit minimè actiuitatis respectu multi sanguinis non summum pondus reubarbari exigit, sed minimum, vel mediocre, videlicet ad dragmã vnam cum duabus vncijs mannæ, ductus Galeni sententia 9. meth: cap. 6. qui venæ sectionem & purgationem comprobat in corpore plethorico, hoc tamen discrimine, vt medicamenta grauia & fortia vitentur, ne sanguis magis, quam par sit exagitetur, vel inflammetur, sed eligantur aluum mollientia & subducen-

tisque euacuationi spontanę correspondeant; Etenim Galenus loco citato loquitur de purgatione non vera, non autem intelligit purgationem per pharmacũ. Aliquando enim vsus fuit hac voce purgatio improprie, & ideo non intelligu per purgationem semper purgationem per pharmacum, quod probatur per eius verba; quando inquit corpus plethoricum sanari, vel per venæ sectionem, vel per alui solutionem. Quare proponit venæ incisionem, & alui fluxibilitatem in corpore plethorico; hoc est validum auxilium, & debile; validum auxilium est venæ sectio, debile vero erit præsidium aluum lubricans, & emolliens, vt Clyster, vel medicamentum leniens; ob id mediocre reubarbari pondus exhibui in tua curatione, videlicet ad dragmam vnam in infusione decocti cordialis cum duabus vncijs mannæ, & sruppi rosacei soluiui, & optimo cum successu annuentibus superis factũ fuit. Contra si contingeret, vt flaua bilis esset summę actiuitatis, neq; à sanguinis prædominio uis illius infringeretur, augenda esset dosis reubarbari; aliorumq; medicamentorum similium: Et quæ dicta sunt de flaua bile, idem intelligendum de humoribus pituitosis, & melanconicis, qui quidem, vel vehementer, vel remisse in corpus humanum agunt; si vehementer agant, illorum dosis seu mensura est augenda, si vero remisse, mediocris dosis est instituenda. Quare variandæ est illorum mensura iuxta diuersam illorum

actio-

ctionem in corpus humanum, modo cuiuber humori appropriatum pharmacum præbeatur, seruatis seruandis penes Galeni præscriptum in libro ad Glauconem pro recto vsu pharmaci administrandi.

His explicatis vnica mihi occurrit difficultas, videlicet male esse à me adhibitam venæ sectionem in te cum sis senex, testis est Galenus 4. acutorum cómento 19. vbi propriis verbis inquit; senex non sustinet sanguinis detractionem, etiamsi morbus, quo ipse laborat, magnus fuerit. Præterea idemmet loco citato & libro de sanguinis missione cap. 9. ponit tres scopos mittendi sanguinem morbum magnum, virium robur, & ætatem florentem, quæ postrema conditio, cum in te non reperiretur venæ sectionem non videbatur requisiuisse. Antequam huiusce difficultatis nodum dissoluam, ne sicco pede difficultatem hanc pertranseam vtramq; Galeni auctoritatem locis prælegatis comprobabo, deinde meam sententiam commendabo, me scilicet frustra venæ sectionem nequaquam administrasse. Exordiar primo ab ætatis senij, quam ad maiorem intelligentiam in primum, & secundum senium diuidam. Primum senium durat quatuordecim annos, ideo ad sexagesimum tertium annum extenditur, qui maxime annus periculosus habetur, quem deo propitio pertransiui, secundum senium est, si ad septuaginta vsq; consideretur, vltimò dicitur extremum senium, & ætas etiam decrepita appel-

latur, quę ad annum octogesimum extenditur. Ne per ignota procedam, intelligo tecum sermonem habere non de ætate decrepita, sed de secundo senio, quod iam attingere cępisti, quò venæ sectio prohiberi videtur. Etenim ętas nõ indicat primo proprie & per se, sed eo indicat, quatenus refertur ad vires non immediate, sed mediate, quoniam ætas verè ad habitum refertur, qusm vis non nulli medici ad virtutem referant, teste Galeno 4. de ratione victus in acutis textu 25. vbi clarius inquit referendam esse ad habitum, & non ad virtutem; Quibus sic stantibus habitus senilis est debilis, quia partes illius sunt nimis aridæ & ficcæ, & ob id virtus in ipso non est fortis ratione parium solidarum & omnium ferè. Prętera in senibus inquit Hip: prima sectione Aphorismorum Aphorismo 13. parũ calidi innati inest, ideſt pauca est eius substantia, & cum pauca ipsa sit, etiam qualitas eius caloris innati & robur eius actionũ non possunt esse insignia, quia in pauco quanto pauca est virtus. Si igitur pauca est virtus in sene, & qualitas caloris innati, & robur eius actionum non sint valida, non poterit ætas senilis summum auxilium, vt venæ sectionem perferre, ob hanc causam Galenus 4. acutorum in senibus prohibet venę incisionem propter imbecillitatẽ, quatenus huiusmodi ætas est signum virtutis venæ incisionem prohibentis. Merito Aristoteles senium marcescenti stirpi assimilat; Quippe stirpes nouellæ dum sunt, molles

humi-

humideq; cernuntur. Senescentes vero assidue magis siccescere videntur, ad postremum aridæ prorsus redduntur. Idq; ipsis mors est. Siccissima est hęc ætas senilis & frigidissima ait Auicennas cap. de complexionibus, & Galen. lib. de temperamentis. nam tactu senes frigidi apparent, & facile in frigidum statum mutantur, & nigri & liuidi fiunt, & frigidis morbis facile capiuntur, apoplexia, neruorum resolutione, stupore, tremore, conuulsione, destillatione, & raucedine, quoniam in habentibus simbolum facilis est transitus. Porrò perijt eorum omnis paulo minus sanguis, eoq; vnà perijt, & calor, iam vero concoctio ijs, & digestio, sanguificatio, appositio, nutritio, appetentia, sensus, & motus oblæsa omnia sunt, vitioseq; affecta, & quid quęso aliud est senium, quam via ad interitum? Itaque si mors, naturalis caloris est extinctio vtiq, senium veluti tabes quędam eius erit. Ex dictis igitur liquet, si senium stirpi marcescenti comparetur, veluti quædam eius tabes sit, & via ad mortem, habiruſq; illius sit debilis ratione solidorum, & omnium ferè, non miror si Galenus loco prælegato pronunciarit senem sanguinis missionem non sustinere. Restat explicandum, cur in ætate florente ab Hip: & Galeno quam maxime commendetur venæ sectio. Pro horius examinatione, prius quã in hac ętate ostendam sanguinis detractionem comprobari, est primò animaduertendum quid intelligatur per ætatem flo-

rentem. Per huiusmodi ætatem non tantum ætas vigorosa intelligitur, verum etiam omnes ætates mediæ intelliguntur inter pueritiam, & senium, & hoc expressè colligitur ex Galeno, qui in libro de venæ sectione cap. 6. & 9. & 8. methe cap. 4. dicit se proposuisse ætatem florentem, ad differentiam ætatis senilis, & puerilis. Vt autem exactius, & perfectius de ipsa verba faciam, opportunissimum esse existimo ad maiorem intelligentiam non nulla in medium afferre de ætate puerili, & senili. Exordium sumam ab ætate florente, quæ concurrit ad curationem coindicando non propria ratione, sed quatenus refertur ad habitum, qui habitus esse Galeno 4. de ratione victus in acutis texta 25. consideratur quatenus corpus vel mollis, vel laxæ substantiæ est, vel duræ, vel siccæ. Si enim partes molles laxæq; fuerint, vt in pueris, illorum corporum debilem indicabunt virtutem ratione solidorum, nullam sustinentem sanguinis missionem. propterea Galenus loco citato inquit: pueris propter habitus mollitiem succi perspirabili cute facile digeruntur, è contra contingit ætate florentibus, partes sunt duræ, densæ, & optime compactæ, quæ indicant corporis habitum firmiorem, & validiorem in partibus carnosis, in paruis solidis, & spiritibus in patienda qualibet sanguinis euacuatione apud nos vsitata, ideo non miror, si veteres vsque ad animi defectum ijs sanguinē detraherent. Senibus verò non facile propter frigi-

ditatem,

ditatem, & siccitatẽ succi percutem dissipantur, quia habitus senilis est debilis, particulęq; illius sunt nimis aridæ & siccæ, vt nerui, venæ, cartilagines, ossa, & alia id genus ad prohibendam sanguinis missionem, cum deficiat substantia harum partium viuentium, & succedat spirituum frigiditas; nec mirum si Galenus inter scopos venæ sectionis posuerit ętatem florentẽ, sub-teloq; contegerit silentij ætatem puerilem, & senilem, cum ętas florens sit signum virtutis magnam sanguinis missionem tolerantis. Sed si contingat, vt nec tibi nec alijs in arte medica hęc responsio satisfaciat, alteram tibi do. Quatuor sunt elementa ex Aristotelis auctoritate libro de ęlo, & Auicennæ in sua prima sen: Cap. de elementis, ex quibus omnia corpora temperata sunt, corpus quidem puerile multum in se ipso continet aereę atq; aquoſę substantiæ, minimum vero terrestris, propinquum enim est principijs generationis, semini scilicet sanguini mestruo, quæ sunt calida & humida plurimum aeris, & aquosæ substantiæ participantia. Contra verò eorum qui in ætate florente consistunt à terrestri siccitate obtinẽtur. Deficit autem in ijs aquosa atq; aerea substantia adeo vt si quartum in vtrisq; elementum ignem scilicet pari portione posuerimus, erunt corpora æqualiter calida, quo ad subiectum remotum, & non proximum, non tamen similem substantiam calidam in vtrisq; esse dicemus, cum puerorum quidem substan-

tia humida sit, eorum vero, qui florente ætate consistunt, sicca, humida siquidem est maxime innati caloris affinis, quoniam ex humido nostri generatio est, sicca verò caloris aduentij est propria. Hoc tibi in exterioribus licet intueri. Quæ ad similem perueniunt caliditatem in ijs non æqua portio videtur defluere, sed ex siccis quidem minimum, ex humidis vero plurimum. Verbi gratia si sint aqua, & oleum mediocriter calefacta, plurimum defluit atq; dissoluitur. Si vero ferrum, æs, atq; lapis habeant eandem calefactionem, minimum; adeo vt si exponas ad solem aquã calidissimam, & ferrum æquo pondere, deinde transacto die ambo perpendas, aquam inuenies multo se ipsa minorem effectam, ferrum verò æquale, ita contingit in nostro casu, cum ætas pueritis constet ex substantia aerea & humida, olei, & aquæ comparata, multum ex ea effluit, & euaporat, hinc plurimum fit dissipationis, & euaporationis caloris innati, si in ea vena secetur. Propterea Galenus in sua methi in pueris negat sanguinis missionem; in ætate vero florente non sic se habet, constat substantia sicca & terrestri ferro, æri, & lapidi assimilata, ad resistendum cuilibet euacuationi per sanguinis missionem, in senectute tandem, cum eam naturales assimulent stirpibus marcescentibus, quę in diem siccescere videntur, & postremò aridæ fiunt, virtus sit debilis, ratione solidarum partium, carnosarum, & spirituum, in prohibenda

benda omni modo sanguinis euacuatione. Hæc omnia Galenus animaduertens libro de sanguinis missione cap 9. nõ sine iure inter scopos mittendi sanguinẽ proposuit ętatem florentem, silentioq; prętерijt ætatem puerilem & senilem. Sed veh mihi, quomodo difficultati propositæ respondebo? si quidem ex prædictis apertum manifestumq; est me non parum erroris commisisse, quando in sene sexaginta quatuor annorum sanguinem mittendum curaui, cum enim habitus illius sit minus aridus & ficcus stirpibus marcescentibus à magno Philosopho iam comparatus, virtus necesse est vt sit debilis, ratione trium partium carnosarum solidarum, & spirituum, cumq; plurimũ non sit caloris innati, parumq; illius qualitatis fumum què actionum, non sit, vt & vegeta sit & valida in muneribus vitæ obeundis, vt in concoquendo, sanguificando, apponendo, nutriendo, sentiendo, & mouendo, quoniam deficiunt in ipso ferè facultates principales in subministrandõ cęteris partibus corporis humani quod eis debetur, & potissimum partibus viuentibus, vbi omnes operationes consistunt, quarum carentia non potest vtiq; senex patiens sectionem. Insuper dixi ab initio huiusce tractationis, quod omne agens debet agere in suum proprium determinatum, non agit in suum proprium determinatum magnum auxilium, quod est venæ sectio in corpus senile, si debile sit; non est corpus debile proprium determinatum

tum validi agentis, vt venæ sectionis, vnde sequitur, vt in te agat sanguinis missio destruendo, & non præcauendo. Ergo male fuit administratum huiusce modi auxilium, qua veritate sit deducta potius reprehensione quam laude dignus habear. Ergo ego virũ de me optime meritum, & ob suas præclarissimas dotes longissima vita dignum, in opportuno venæ sectionis auxilio trucidaui, atq; in perniciem egi? siccine remedia adhibui, vt cum auxiliari vellem eodem tempore tantũ veram perderem? & vna existimationis meæ rationem nullã haberem? quis præterea medici huiusce modi auxilium implorabit, quæ amicissimo atq; amplissimo Patrono si non existo fuerunt, magni saltem detrimenti ac periculi causa exiterunt? Quid autem eadem, ac ferio de hac difficultate sentiam, mi Dñe pauca accipe, & sicuti ex veteranus Palladis miles, cõsummatissimusq; eiusdẽ Præsul videbis me ab arte methodica, & dogmatica habita per demonstrationem neutiquã recessisse. Verũ quadifficultas adhuc manet indiscussa, respondeo non vt Empiricus ne quis mihi aduersetur, vti Galen. in sua methodo, sed vt methodicus, & dogmaticus præcipue, qui per indicationes medetur, quibus pro recto vsu instrumentorũ vsus sit, quod rui ætas sexaginta quatuor annorum sãa habet rationem indicantis, & pro tuto nec prohibentis, nec permittentis, quæ cum tria tãtum sint indicantia, sãitas tantum permittens, status prohibentia, per sanum

non

non est intelligenda ratione prohibentis, sed in ratione signi, quia ætas senilis est signum virtutis debilis, quæ est prohibens, & hoc pacto intellexit Galen. 4. auctorum quando dixit senex propter virium imbecillitatem non fert sanguinis detractionem. Sunt enim in eo à primordijs vitæ remoto partes solidæ nimium aridæ & siccæ, propterea illius virtus infirma est, sed in meo Illustrissimo non est ætas vt signum virtutis debilis, quoniam partes solidæ non sunt nimis aridæ & siccæ, sed densæ, & optimè compactæ multo sanguine plenæ in corpore athletico, in quo sanguis solum ex parte quantitatis redundat, vt plethora exquisita laboret, vnde vires validæ simpliciter & secundum has omnes rationes, nempe secundum partes solidas, humorosi & spirituosi existunt, quæ non reperiuntur nisi in corpore athletico, & eo magis, quia in ipso adest pulsus æqualis, magnus, vehemens, cui nunquam nunium fallaci virium robustarum signo fides semper habenda, quæ omnia indicantia cum sint in tua Magnificentia non fuerunt in illo sene, cuius meminit Galen. loco citato, quando negat sanguinis missionem, & ob id non immeritò venam in te incidere me coegerunt, vt idem met libro de sanguinis missione cap. 13. in sene septuagenario eodem habitu, quo tu præditus es, sanguinem misit, nam non est attendendus numerus annorum quorundam medicorum more, sed corporis habitus, non ab re Cornelius Cel-

sus dixit sitmus puer, ac robustus senex tuto curantur per pharmacum, & per venæ sectionem, quæ fuit à me adhibitá, non vt agens in subiectum debile, sed in validum & forte optime densatum, & compactum cum alijs requisitis vt supra ad resistendum suo valido agenti, sicq; intelligenda venit sententia illa magni Peripatetici paulò ante à me probata, & bene à me allata citra redargutionis metum, scilicet, vt venæ incisio vt validum agens agat in suum proprium determinatum, nempe in corpus tum robustum proportionatum suo valido agenti, idest venæ sectioni pro patienda non summa sanguinis mensura, quæ est ad duodecim & quindecim vncias, sed pro sustinenda, quæ est moderata ad nouem, vel decem circiter à me citra vllam iacturá rite in te vsurpata. Hæc igitur sunt, quæ scribenda mihi visa sunt pro seruanda tua valetudine in recta venæ sectionis, & nonnullorum medicamentorum administratione. Interim precor Deum hæc omnia satis tibi faciant, & de mea erga te voluntate sic velim existimes, vt quibuscunq; rebus opus erit rei, famæ, saluti q; tuæ me prẽsto futurum certo scias. Vale literarum decus, & vt me amare pergas, vt cẽpisti, te etiam atq; etiam oro, meisq; mandatis valetudinem tuam atq; tranquillitatem animi respicientibus velim seruias.

LAVS DEO.